

§ dederit damnum grave; si nec ab hoste redemit.  
Testarique vetet; se societque malis;  
Si mimos sequitur, vitietque eulde parentum;  
Si mutet fidem; filia si inercatix.

497. *An ob alias æque graves causas fieri possit exhereditatio? Controvertunt doctores.* — Num autem præter enumeratas, etiam ob alias æque graves, vel graviores causas exheredari possint liberi, controversia est inter doctores. Negant Molina, disp. 470; Perez, de *Lib. præter.* n. 48. et nonnulli alii, ductis verbis novellæ 115. cap. III. prin. ibi: « Nulli liceat ex alia lege ingratitude causas opponere, nisi quæ in hujus constitutionis serie continentur. » Affirmant Fachin, lib. VI cap. LXXVIII; Jul. Clarus, § *Testamentum.* q. 14; Covarruvias, de *Testam.* cap. XVI. n. 23, et communis, imo teste Fachin, receptissima aliorum, qui nituntur præcipue illo trito: « Ubi est eadem ratio, eadem est legis dispositio, » et textu I. *Non possunt.* ff. de *Leg.* ibi: « Non possunt omnes articuli singillatim aut legibus, aut senatusconsultis comprehendere: sed cum in aliqua causa sententia eorum manifesta est is, qui jurisdictioni præest, ad similia procedere, et ita judicare debeat. » Verum ad hunc textum facile respondent adversarii dicendo, procedere illum, nisi lex ipsa extensionem ob paritatem rationis expresse prohibeat; prout fit in casu nostro, arg. cit. novell. 115. cap. III. prin.

498. *Quævis gravis injuria est causa sufficiens.* — Hinc huic quantumvis communi sententiæ plene deferendum non videtur. Illud tamen eidem etiam adversarii concedere debent, quod licet non omnis alia æque gravis ingratitude præbeat justam causam exheredandi liberos, hanc tamen subministrat omnis quæcumque tandem *gravis injuria* parenti illata, consequenter adhuc in aliquo sensu verum sit, quod in dicta novella 115. non omnes exheredandi causæ in specie sint expressæ, cum § 2 in genere dicatur ad exheredandam prolem sufficere, « si gravem et inhonestam injuriam parenti intulerit. » Quænam autem illa sit, plane arbitrio judicis relinquendum videtur, juxta dicta 484. et 489.

499. *Liberi sine consensu parentum nubentes, an exheredari possint?* — Specialiter autem controvertunt doctores an gravis injuria, consequenter juxta causam exheredandi prolem sit, si proles contra voluntatem parentis certæ personæ nubat. Et quidem imprimis

communiter negativam tenent in casu, quo proles absque parentis consensu, vel contra eundem nuptias celebrat cum honesta persona, uti videre est apud Jul. Clarus, q. 41. n. 4; Abbatem, in c. 1. de *Sponsal. impub.* n. 5; Covarruviam, de *Matrim.* p. 2, cap. III. § 8. n. 5; Jasonem, in Authen. *Sed si post. c. de Inoffic. testam.* et alios. Ratio est, quia nulli facit injuriam, qui utitur jure suo I. CLV. ff. de *Reg. jur.* atque de jure potest quis etiam sine consensu parentum contrahere matrimonium præsertim cum honesta persona, arg. c. *Gemma.* de *Sponsal. Matrim.* et Trident., sess. 24. de *Reform. matrim.* cap. IX. et I. *Cum te.* 18. c. de *Offic. testam.* ergo.

500. Multum autem controvertunt de casu quo proles absque consensu parentum nubit personæ inhonestæ. Glossa siquidem in cap. de *Raptoribus.* §. *Excusata.* cau. 36. q. 1; Alexander, in I. I. ff. de *Solut. matrim.*; Paul. Parisien., vol. III. consil. 29; Felin., in c. *Idem.* n. 43. h. t. ac nonnulli alii tenent, in hoc casu omnino justam adesse causam exheredandi prolem contra voluntatem parentis ante annum vigesimum quintum indignæ ac turpi personæ nubentem saltem, si pater alias honestas nuptias obtulit, vel eas non impedivit. arg. Authen. *Sed si post. c. de Inoffic. testam.* ibi: « Sed si vel sine consensu tuo (parentis) marito se, libero tamen copulaverit, eam exheredare non potest: » ergo, inferunt a sensu contrario, si sine consensu parentis marito non libero, vel turpi personæ se copulet, exheredari potest. Contrarium docent Covarruvias, loc. cit. n. 5. et apud eum Imola, in c. *Accedens.* de *Procurat.* Jason, in Authen. *Sed si. c. de Inoffic. testam.*; Haunoldus, tract. VI. cap. VII. n. 470; Molina, disp. 470; Clarus, loc. cit. cum communi aliorum, cum quibus etiam sentiunt omnes illi, qui docent, præter causas in novella 115, cap. III, expressas, nullam aliam esse, ob quam parens liberos exheredare posset, arg. juribus n. præced. allegatis. Ad Authen. *Sed si.* respondent, eam vel contrarium non docere, vel si docet, attendendam non esse, utpote pugnantem in hoc contra canones, contra quos leges civiles in materia matrimoniali nil obtinent, arg. c. *Tuam.* de *Ord. cognit.* et c. *Causam.* 7. *Qui filii sint legitimi.* juncto concilio Trident., sess. 24. can. 12. ibi: « Si quis dixerit causas matrimoniales non spectare ad iudices ecclesiasticos, anathema sit. »

501. Verum contra respondent prioris sententiæ doctores leges civiles per hoc nihil præjudicare sacris canonibus, sed potius eos adjuvare; cum enim juxta canones, et leges ecclesiasticas saltem illicitum sit, contra voluntatem parentum cum turpi persona contrahere matrimonium, utique idem tanquam illicitum etiam leges civiles, sub pœna exheredationis prohibere, sicque prohibendo, canones adjuvare possunt: sicut prohibent transgressionem aliarum legum ecclesiasticarum. Quæ sane ratio sententiam hanc doctorum facit satis probabilem.

502. *Quid circa hoc disponant statuta Bavarie?* — Statuta Bavarie, tit. XL. a. 9. circa hoc punctum sequentia disponunt, videlicet, I. Quod si liberi nondum emancipati sine præcitu et consensu parentum aliquibus inferioris status, et conditionis, « welche ihnen im Stand und Herkommen nicht gemess. » se conjungunt, exheredari quidem non possint, tamen eidem nec dotem, nec aliud auxilium in vivis præstare teneantur; imo filia ita nubens privetur dimidia parte illius, quod alias ab intestato habuisset, casu quo parens absque testamento discedat, II. Si filia ante viginti quinque annos, filius vero ante triginta annos absque consensu parentum nubit non tantum inæquali, sed etiam turpi personæ, possunt a parentibus omnino exheredari. Si vero parentes sine testamento decedunt, plus quam dimidiam partem legitimæ capere non queunt. III. Si liberi absque consensu parentum personæ conditionis æqualis nubunt, nec exheredantur, nec ab intestato aliqua parte hereditatis alias sibi debite privantur; parentibus tamen liberum manet, an ita nubentibus dotem, aliudve auxilium in vivis præstare velint necne.

503. *Enumerantur octo causæ, ob quas exheredari possint parentes.* — Quæritur IV. Quænam sint causæ, ob quas licet liberis exheredare parentes, vel alios ascendentes. Resp. esse octo sequentes, citata novella 115. cap. IV. comprehensas. Quarum I. est, « Si parentes ad interitum vitæ liberos suos tradiderunt, » nempe, ut Glossa ibidem explicat, « accusando eos de crimine, pœnam mortis inducente, citra causam tamen, quæ ad majestatem pertinere cognoscitur. » II. « Si venenis, aut maleficis aut alio modo parentes filiorum vitæ insidiati probabuntur. » Quod cum proportione intellige in eo sensu, quem explicavimus supra. III. « Si pater

gerai suæ, aut concubinæ filii sui sese immiscerit. » Cujus sensum desume ex dictis supra. IV. « Si parentes filios suos testamentum condere prohibuerint in rebus, in quibus habent testandi licentiam: omnibus videlicet in hujusmodi testamentorum prohibitione servandis, quæ in parentum persona distinximus. » V. « Si pater uxori suæ, vel hæc illi venenum præbet, aut vitæ insidiatur, » potest a liberis ejusdem exheredari, § 5. cit. novell. VI. « Si liberis, vel uno ex his in furore constituto, parentes eos curare neglexerint: omnia et hic observari præcipimus, quæ de parentibus furiosis superius disposuimus: » sunt verba novellæ, vide de hoc n. 494. VIII. « Si liberi in captivitate delenti negliguntur a parentibus, » § 7. cit. novell. vide de hoc n. 495. VIII. « Tandem filius catholicus exheredare potest patrem hæreticum, » § 8 citatæ novell. Hæ causæ comprehenduntur in sequentibus versibus.

Si pater accuset capitalis criminis, aut se  
Adjungat nurui, vitæque est insidiatus,  
Testari prohibet gnatum, matricque venenum  
Præparet, inclusum in carcere, vel furiosum  
Negligat et veram contemnat Religionem.

504. *Causa exheredationis cessat, si ante conditum testamentum parens cum liberis, vel hi cum illo reconcilientur.* — Concordat in his causis jus Bavaricum, *Land-Recht*, tit. XXXV. n. 3. ubi ad finem addit, quod tam hæc quæ præcedens causæ exheredandi cessent, si in vivis adhuc parentes liberis, vel hi illis, ante conditum testamentum reconcilientur: non item in reconciliatione post testamentum, cui exhereditatio jam est inserta, nisi testator testamentum revocet prius factum. De jure communi quoque causa exheredandi cessat, si ante testamentum conditum fiat reconciliatio, prout communi aliorum docet Clarus, quæst. 41. n. 9. et 10; Grass., § *Testamentum.* q. 42. n. 9. Bartolus, et alii: quod varie probatur in additionibus Clari, loc. cit. Si vero post testamentum jam conditum exheredationem sibi insertam habens, reconciliatio contingat, exheredationem de jure communi cessare, communiter legant, quamvis Bartolus, in I. III. § fin. cum I. seq. ff. de *Adimplet. leg.* et Jason apud Covarruviam, de *Testam.* cap. XVI. num. 24. contrarium sentiant.

505. *Item si proles monasterium ingrediatur.* — Porro, si proles post datam exheredationis causam monasterium ingreditur, ipso jure exhereditatio cessat, etsi reconciliatio

subsecula non sit; prout docet Covarruvias. loc. cit. n. 28; Abbas, vol. II. consil. 7; Felinus, in c. *Rodolphus. de Rescript.*; Glossa, in l. *Deo nobis. c. de Episc. et Cleric. arg. can. fin. cau. 19. q. 3.* ibi: « Non liceat parentibus liberos, vel liberis parentes ab hæreditate repellere monachos factos; quamvis dum laici fuerint, in causam ingratitude incidierint. » Non desunt, tamen, qui doctrinam hujus n. negant, ex eo, quod Gratianus dictat se hunc textum sumpsisse ex novell. 123. cap. LIX. ubi nihil de hoc invenitur. Verum Covarruvias, et alii defendunt Gratianum ostendendo, quod licet textus citatus non inveniatur in citato cap. LIX. ejus tamen substantia sit in cap. XLI. ejusdem novellæ 123. ut proin in *Decreto Gratiani* error calami, vel typographi irreperit, præsertim cum in citata novell. tantum quadraginta quatuor sint capita.

506. *Frater in casu persone turpis instituta, ob quas causas exheredari possit?* — Quæritur V. Quæ sint causæ exheredandi fratres in casu, quo turpis persona instituta est hæres. Resp. Eas breviter comprehendit in novella 22. cap. XLVII. illis verbis: « Illum solum tanquam ingratum circa fratrem effectum participari hoc lucrum non concedimus, qui mortem voluit fratri, aut criminalem inducere contra eum subscriptionem, aut substantiæ ei præparavit inferre jacturam: ejus enim portio tam ad reliquos fratres, quam ad matrem veniat. » Brevius has causas indicant sequentes versus.

Tres licet ob causas ingratum pellere fratrem,  
Si fratris insidias, perniciemque struat.  
Si scelera pingat, ferro, fatioque pianda,  
Aut si fraternas perdere tentet opes.

## § XVI.

DE JURE DELIBERANDI, DE INVENTARIO, DE PETITIONE, ADITIONE, REPUDIATIONE, ABSTENTIONE, ET RENUNTIATIONE HEREDITATIS.

507. *Jus deliberandi, quid? et quare concedatur?* — Quæritur I. Quid sit, ad quid, et quandiu concedatur jus deliberandi? Resp. I. Jus deliberandi ad propositum est facultas hæredi concessa ad certum tempus differendi resolutionem, an hæreditatem adire velit necne, ac interea inquirendi, quid hæreditas importet, quænam debita extent, onsequenter an utile sit, hæreditatem adire. Communis, arg. tot. tit. ff. et c. *de Jure deli-*

*berandi.* Introduta est a jure hæc facultas ad evitandum omne periculum in additione hæreditatis alias subeundum: cum enim hæres statim ac hæreditatem adit, contrahat obligationem solvendi omnia debita defuncti, etiam hæreditatem excedentia, jura præfata facultatem hæredi concesserunt, ne ignarus hæreditatis, et debitorum defuncti, adeundo hæreditatem periculum damni incurrat. Hinc debet « Prætor hæredi subvenire, eique copiam instrumentorum inspiciendorum facere, ut proinde instruere se possit, expediet necne, agnoscere hæreditatem; » prout dicitur l. *Aristo. ff. de Jure delib.* Et quamvis hæc facultas hodie videatur frustranea ob noviter introductum beneficium Inventarii, ut bene advertit l. fin. § 13. et 14. c. eod. Nihilominus

508. *Etiam hodie conceditur petenti.* — Resp. II. Etiam hodie adhuc volenti conceditur jus deliberandi, ita tamen ut princeps non nisi tempus unius anni, magistratus vero novem mensium spatium deliberandi concedere possint. Textus expressus est in cit. l. fin. c. eod. Incipit autem hoc tempus deliberandi primum elapsis novem diebus post mortem illius, de cujus hæreditate agitur. Nam ante hos dies elapsos, utpote tempus ad luctum concessum, nulli licet hæredes defuncti molestare. Authen. *Sed neque. c. de Sepulchro viol.* ibi: « Sed neque ante novem dies ab obitu numerandos ulla prorsus fiat molestia adversus quemlibet ex persona defuncti. Si quæ enim cautio, si quid simile fiat, inutile erit: ex hoc, nullo præjudicio creditori generando. »

509. *Inventarium, quid?* — Quæritur II. Quid, et cujus effectus sit Inventarium? Resp. I. « Inventarium ad propositum est scriptura, in qua res inventæ in hæreditate defuncti describuntur; » prout definit Glossa, in § *Si vero absunt.* Authen. *de Hæredib. et Falcid.* col. 1. Vel, est « legitima bonorum in hæreditate defuncti repertorum annotatio, et in scripturam redactio, » prout eam doctores communiter definiunt, arg. l. fin. c. *de Jure delib.* Dicitur notanter « ad propositum; » quia præter inventarium hæreditatis dantur etiam alia inventaria, quæ fiunt a tutoribus et curatoribus circa res pupillo um vel minorum, de quibus l. *Tutores.* 24. c. *de Administ. tutor.* Item a creditoribus in possessionem creditorum missis, l. *Cum plures.* 15. ff. *de Rebus.* Auth. *Jud. poss.* De quibus hic non agimus.

510. *Et qualia offerat privilegia?* — Resp. II. Inventarium plures, præsertim vero sequentes habet effectus, et commoda. I. Quod hæres conficiens, vel confici curans inventarium, sit immunis ab omni periculo adeundæ hæreditatis, possitque hæreditatem absque ullo suo damno iterum repudiare ut proinde nullo indigeat jure deliberandi, an velit hæreditatem adire necne; cum etiam adeundo extra omne periculum sit, dummodo cum beneficio inventarii adeat, prout clare habetur l. fin. § 2. c. *de Jure delib.* et unanimiter docent doctores, signanter Hun., p. IV. tit. XVII. cap. v; Sichard, ad l. fin. § *Si præsertim.* numer. 4. c. *de Jure delib.*; Fachin., lib. VII. cap. XIII. et alii. Hinc II. Non tenetur creditoribusolvere ultra vires hæreditatis, cit. l. fin. in § 4. et 5. c. *de Jure delib.* III. Potest cuivis creditori liquido solutionem præstare, nec tenetur examinare, quis ex creditoribus potius aut prius privilegium habeat, cit. l. fin. § 5. c. eod. IV. Potest detrahere Falcidiam a legatis, etsi hæreditas solvendo non sit. Hun., loc. cit.; Tholos., in *Syntag. jur.* lib. XLVI. cap. III, n. 17; Jason, ad cit. l. fin. *Etsi præfatam.* n. 1; Sichard, in eamd. n. 5. arg. cit. l. fin. § 4. V. Potest unum pro alio v. g. rem pro pretio creditori etiam invito solvere, cit. l. fin. § *Sin vero.* c. eod. licet alias juris regula sit, quod unum pro alio, creditori invito solvi nequeat, l. II. § *Mutui datio.* ff. *de Reb. creditis, et si certum petatur.* VI. Quod a creditoribus intra tempus ad confectionem inventarii a jure concessum conveniri, aut molestari non possit, cit. l. fin. § *Donec.* 11. c. eod. Conveniunt in his etiam doctores et statuta Bavaricæ, tit. XLIII. a. 7.

511. *Regulariter loquendo, nemo tenetur facere inventarium.* — Quæritur III. Quinam, et quando teneantur conficere inventarium? Resp. I. Quamvis per se loquendo nullus teneatur, nec cogi possit ad conficiendum inventarium, præsertim, quanto certo constat, quod hæreditas pro omnibus debitis sufficiat, vel hæres sit solvendo, ita ut nulli aliud damni periculum immineat, prout habet communis; eo quod inventarium principaliter introductum sit in favorem hæredum; favore autem et privilegio uti nemo teneatur, l. *Si quis.* 29. c. *de Pactis.* Cui concordant statuta Bavaricæ, tit. XLIII. a. 1. Nihilominus, qui periculum in adeunda hæreditate sæpe occurrens, pœnamque legis evitare vult, inventarium conficere omnino

debet, Tholos., in *Syntag. jur.*, lib. XLVI. cap. III, numer. 12; Hun., loc. cit., cap. 1; Schneidew., in § *Centranis Instit. de Hæredit. qualit. et differ.* n. 12; Hartman, *Pract. Observ.* tit. XLI. observ. 2, n. 12, cum communi aliorum. Ratio patebit ex dicendis infra.

512. *Limitatur in aliquibus.* — Resp. II. Dantur casus, in quibus confectio inventarii necessario fieri debet. Patet inductione. Sic imprimis tenentur ad inventarium tutores, et curatores, casu quo eorum curæ commissi v. g. pupilli, minores, prodigi, furiosi, amentes, etc. hæredes sunt: quod si non faciant, debent non tantum illi, cujus curam gerunt, sed etiam creditoribus ultra vires, hæreditatis satisfacere, si damnum inde exoritur. Hun., loc. cit. n. 13; Sebast. de Montiul., *de Inventario.* cap. v. n. 43. et communis aliorum. Ratio est, quia omnes, qui præstandarum rationum obligationem habent, ad confectionem inventarii tenentur, arg. l. I. ff. *de Tutel. et rat. distrah.*

513. II. Debet fieri inventarium ab hæredibus, vel eis invitatis, a iudice ex officio, quando periculum est, ne illo omisso cohæredes absentes, creditores, legatarii, aut alii damnum patiantur, prout contingere posset, si præsentibus hæredes hæreditatem interea distraherent, partem occultarent, vel dilapidarent, vel tam pauperes essent, ut restitutionem lege debitam facere non possent, etc. Molina, disp. 219; Hun., loc. cit. et communis aliorum, arg. cit. l. fin. c. *de Jure delib.* et novella, 1. cap. II. § 1. Concordat jus Bavaricæ, tit. XLIII. a. 1. ubi etiam mandat, quod apud rusticos universaliter fieri debeat inventarium.

514. III. Gravati fideicommisso universali tenentur ad inventarium. Molina, disp. 219. citans communem. Hun., loc. cit. cap. 1, n. 22; Peregrin., *de Fideicommissis.* a. 35, n. 25; Tuschus, tom. IV. conclus. 349, n. 20. et communis aliorum, arg. cit. l. fin. c. *de Jure delib.* et novell. 1. cap. II. § 1. Ratio est, quia hoc ipso, quod vi fideicommissi teneatur alteri restituere hæreditatem, inventarium facere debet, nec aliter adeundo hæreditatem dici possit aliquid subtraxisse, aut neglexisse.

515. *Inventarium quando inchoari, et perfici debeat?* — Quæritur IV. Quando, et quomodo fieri possit, ac debeat inventarium? Resp. I. Confectio inventarii intra triginta dies a tempore aditæ hæreditatis inchoari, et cœpta